# VITA PII QVINTI PONTIFICIS MAXIMI.

Auctore Hieronymo Manfredo Bononienſi Iureconſulto, Cæſenæq; Præfecto.



De Superiorum Licentia.

CAESENAE.

Bartholomeus Rauerius Excudebat. Anno M. D. XIIII C.

# AD SIXTVM QVINTVM PONTIFICEM MAXIMVM.

ECCE Tibi, Sanctè Pater, Pij Quinti Pontificis Maximi vita, mores, virtutésq; , quas dum huius lucis vſura fruebatur, piè, ſanctéq; coluit: & quoniam vitæ tuæ rationem eandem eſſe, atq; illius, & nunc, & olim, cum tu in Franciſcana, ille verò in Dominicana Religione, ſingulari mutuaq; inter vos beneuolentia coniuncti, eratis, inter omnes ſumma cum vtriuſq; laude conſtat, operepræcium eſſe duxi, cùm hanc vnà cum moribus, virtutibuſq; à me, eius miniſtro iam multos ab hinc annos collectam, in lucem ædere decreuerim, ſub tuo iuſtiſsimo, ſanctiſsimoq; Pontificatu peruulgare, tuæq; ſanctitati dicare: vt hanc legens tuam ipſius tamquam in lucidiſsimo

ſpe-

ſpeculo intuearis, tuoq; exemplo incitatus, illam curam in dies magis, magisq; complectaris, vt ſis tui quamſimillimus, & extrema cùm primis contexens, Remp. Christianam multis in partibus morbo illo tranſalpino, qui quotidie longius ſerpit, laborantem, omni ratione ſanes, & in veterem integritatem, ſplendoremq; reſtituas: Quod ita fore virtus tua ſapientiaq; facit, vt nemo non ſperet, ac planè confidat. Vnum exoptandum, vt, qui tibi mentem iſtam, cum iſta auctoritate dedit ( dedit autem ille princeps Deus, qui omnem hunc mundum regit, & moderatur ) idem velit vtriuſq; rei fructum eſſe maximè diuturnum, & æquare vitæ tuæ ſpatium, cum ijs bonis, quæ in tè ſumma contulit. Vale. X.I. Kalend. Martij. M. D. LXXXVI. Sanctitatis tuæ,

Humillimus Seruus

Hieronymus Manfredus.

# VITA
# PII QVINTI
## PONTIFICIS
## MAXIMI.

PIVS Quintus natus eſt apud inſubres in oppido buſchi Alexādriæ vrbis, Anno Domini Mileſimo quingenteſimo quarto, Sexto Decimo Kalen. Februarij, ex Patre Paulo Clariſsima Ghiſoleriorum Bononienſi familia, Primam egit pueritiam ſub præceptoribus ratione vitæ, atq; Doctrinæ commendabilibus, qui in primis bonarum literarum initijs ſupra quàm credi poteſt, breui tempore profecit: Decimo ſeptimo ætatis anno Dominicanis ſodalibus aſciſcitur; vbi de more immutato nomine, Michael vocatur; non quidem fortuito, ſed tanquam futurus princeps ſuper omnes animas Gregis Chriſti ſuſcipiendas; anno expleto religionem, vt vocant, profitetur in Ciuitate Vogheriæ Diocœſis Mediolani, in qua ita humaniter, benigne, modeſteq; ſe geſsit, vt admirationi omni-

bus idemq; cariſsimus eſſet, ſibi enim ſummæ indolis adoloſcens illa tantum gerenda eſſe propoſuerat, quæ ad honorem, & gloriam Dei pertinerent, huc animum, huc cogitationem omnem conuertit. Nempe illud Pauli aſsiduè cogitans quod regnum Dei non eſt in ſermonibus; ſed in voluntate, & Dauid in lege Domini voluntas eius; ſuamq; adoloſcentiam non in voluptatum illecebris, non in delitijs, ſed ad pietatem erga Deum, patriam, atq; parentes exercuit; Bononiam Studiorum cauſa miſſus maioribus ſe ſcientijs totum traddidit, neq; tamen interim à cæteris Eccleſiæ muneribus vacationes tulit, cum immunitatis loco cæteris permittatur, vt ab horis in Eccleſia recenſcendis liberi ſint, quibus omnibus, dies, noctesq; tantus illi ardor religionis inceſſerat ſemper interfuit, adeoq; flexis genibus in oratione eum permanſiſſe accepimus (vt poplitum dolore) poſtmodum acriter vexaretur, quò neq; ingredi, aut ſuſtinere poſſet, eamq; modeſtiam, eam humanitatem præſeferebat, vt multi ex illius equalibus (ſemper enim ferè quæ Deo ſunt accepta) homines negligunt, quaſi demiſsionem nimiam animi derridentes, Diuum Bernardinum appellarent, quotieſcunq; illi iter habere contingit, & ſi publicis muneribus religionis ſuæ fungeretur, nihilominus equo nunquam, aut rheda vtebatur; reli-

gionis

gionis præcepta obſeruans. Itaq; Paulo poſt cùm, & inſignis ipſius Doctrinæ fama, & morum ſuauitas, atq; honeſtæ vitæ in dies augeretur, Vigleuni Prior factus, ea ſe continentia, atq; humanitate geſsit, vt anno abſoluto, rurſus ea dignitas Albæ, atq; Suncini in eum confertur; Poſtmodum ſodalium omnium ſuffragijs difinitor Vigleunum reuocatur, Quo munere peracto, Ticinum accerſitur, vt ibi Methaphiſicam, atq; Theologiam profiteretur, Deinde Rauennam, tùm Bononiam euocatus, vbi cùm omnibus cariſsimus, atq; iucundiſsimus extitiſſet; cùmq; illi in primis cordi eſſet Diuina religio, inquiſitionis munus in Ciuitate Commenſi delatum fuit, quod quidem ſincerè, & rectè adminiſtrans, tantum breui tempore profecit, vt mortuo Theophilo Romam vocaretur, in qua vniuerſæ inquiſitioni præficitur; Bergomum inde ob aliquas hereſes miſſus, quibus extinctis Romam reuertitur, vbi in eodem munere diligentiſsimè verſatus, à Paulo Quarto Summo Pontifice Nempenſis Epiſcopus eligitur: Hinc ſumma omnium expectatione in Cardinalium numero aſciſcitur, qua dignitate nihil vir prudentiſsimus extollitur, adhuc in ſummo honoris gradu priuatam degens vitam, neq; ſtatim ditari voluit, eodem illo cubiculo, iiſdem cibis, quibus antea veſcebatur contentus. Iam vero Diuino prorſus

ſus Conſilio Summus Pontifex factus præter omnium expectationem, non ad cupiditates, quas omnes cohibuit, non ad ſuos quacunq; ratione locupletandos animum conuertit, quinimmo ad Christianam Eccleſiam ſceleribus omnibus expurgandam, ad religionem, ad pietatem tantum ſe onus accepiſſe existimans. Magnum auri cumulum in arce repertum in pauperes Christi erogauit; qua munificentia, qua magnitudine animi per Deum immortalem, Quid nobilius? Quid preſtantius? Quid Diuinius? Philoſophi eum liberalitatis ornant laudibus, qui in conferendis pro dignitate pecunijs, plus ſibi ſeruet, quàm alteri largiatur. At ipſe longe prudentior, ſanctiorq; Philoſopho ita ſe liberalem fore, beneficumq; duxit, ſi quæ mortalia aliena, quæ duceret, mortalibus ea dimitteret, quæ vero ſuis ſibi vigilijs aſsiduitate, & laboribus comparaſſet, ea propria exiſtimauit, Quæ enim non modo ſumma, ſed potius ſola, ac perpetua bona ſunt, non morbo, non vetuſtate, non humana vehementia, non aliqua inquinantur vi, non fortunæ retibus expoſita ſubiacent; ſemper creſcunt, ſemper augentur, ſemper cumulantur; Quare humanarum rerum ſtudijs, ambitionibusq; omiſsis; immo nunquàm dimiſsis, totum ſe Deo dicauit, ac deuouit, Idq; ſapientia eius, quæ præter cæteros floruit, ſemper ampliſsimum munus eſſe

iudi-

iudicauit, ut pro veteri illo Apollinis præcepto, ſe ipſum noſceret, Iuſtitia autē, atq; cumulate virtutis elegantiſsimus, vt mentem ſuam, & innocentem, & piam, tùm ſeruaret depoſitori Deo; tùm etiam prompte reſtitueret: Quibus tandem artibus factum eſt, vt, & Deo carus, & admirandus hominibus, omnia ſua ſumma cùm dignitate, & gloria, neq; petens, neq; volens, neq; cogitans adeptus fuerit, & ita adeptus, vt ampliſsimo, ac ſummo dignitatis gradu, non tam vti voluerit, quàm dignus, & haberi, & eſſe; Ponamus quæſo ante oculos Romanos Pontifices, quotquot in hunc vſq; Diem Petro Succeſſerunt; ſancti quidem uiri extitere admirabiles, & Deo ſummo accepti. At defuere illis vires, defuit imperium, defuit pecunia, & quando enim pontificia autoritas, ab illis, qui ei fauere debuerunt, magis neglecta eſt, Euoluamus hiſtorias; Vnus meherculè ciuis Romanus, Summo cùm Pontifice inimicitias gerere non recuſabat, atq; ita, vt interdum Pontifici neceſſe foret iniuria cedere, Nunc autem, nihil tale accidere videmus, omnia paccata, omnia tuta ſub dudum Pontificibus Pio Quinto, nuperq; Sixto Quinto; Quas ob res omnium qui antea fuerunt Summorum Pontificum, Pium Quintum, Sixtum Quintum Maximos Pontifices felices eſſe cenſeo. Nulla inquit Marcus

Cice-

Cicero laus eſt ibi integrum eſſe, vbi nemo ſit qui aut velit, aut poſsit corrumpere. Hij enim nunquam gratia, amplitudine, dignitate à recto tramite, vnus per alterum digrediatur, Quemadmodum enim auri bonitas igne probatur, ſic hominum vita diuitijs, magnum ſi quidem eſt omni bonorum copia affluere, amicisq;, & cognatis quotidiè petentibus nihil impartiri; Pius Quintus non modo ſuis non dedit, verum etiam ipſe abſtinuit, neq; in maxima dignitate victum, quo priuatus parcè admodum, vſus eſt, immutauit. Memini me legere Summum Pontificem quemdam, cum neptes ex fratre in matrimonium locare vellet, coacto Cardinalium Collegio, ab illis petijſſe, vt aliquam pecuniam pro illarum Dote ſibi Dono darent, qua humaniſsimè accepta, monumentum rei extare voluit, ſed mea ſententia longe Pius Quintus Superior extitit, qui eas dote admodum exigua contentas eſſe voluit. Neq; tantum in bonis Eccleſiæ adminiſtrandis omnino integer, atq; incorruptus extitit, qua quidem in re boni mores maximè cognoſcuntur, ſed ſi preſtantiſsima ingenia, atq; Diuinas tùm Pij Quinti; tùm Sixti Quinti virtutes cum cæteris, qui cum hac ipſa omnium maxima dignitate anteceſſerunt, comparare volumus, atq; fortunas illorum, qui aliquod propterea magnificum, & eccelſum aſſe-

quti

quti ſunt, cum eorum operibus non equandos inueniemus, quos ex maximis, & ſummis viris tales comperiemus, cum cæteri quadam alia ratione, multumq; ab illis diſsimili ad ſummum proceſſerint, quos vel maiorum ſuorum ſplendor, vel diuitiarum afluentia, vel popularis gratia, raro bonis artibus quæſita. In his verò minimum ſibi ipſis fortuna, plurimum verò natura, & virtus vendicauit, & ſi vetuſtiſsimos Pontificum noſtrorum annales, vſq; ab illo ipſo primo huius noſtræ Eccleſiæ Summo Pontifice Petro repetamus; Quis eſt, si ætatis inter ſe tempora conferamus, qui vel natura, vel ingenio, virtute, atq; diuinarum, & humanarum rerum ſcientia non antecedat? vnum eſt, quò ipſos longe omnibus præſtare, qui præceſſerunt, exiſtimemus, quòd neminem accepimus, qui per tot honorum gradus à primo vſq; ad ſummum decurrerint, neq; id caſu, aut fortuna factum aliquis dicere poteſt, ſi primam ſanctiſsimæ religionis eorum profeſsionem, cum alijs honoribus conferat, neq: id repente, vt fortuita ſolent, ſed tunc ſemper dignitates cum ætate creuerunt, virtutes ſimul, magiſtratus, & offitia. Quamobrem nemo vereri debet, quin, & Pius Quintus, & Sixtus Quintus nobis è Cælo huc dimiſsi fuerint, vt hoc ſanctiſsimum vniuerſe Eccleſiæ corpus diuulſum, & à tot Hereticis,

Banni-

Bannitis, ſceleſtibus hominibus laceratum componeret, refficeretq; . Itaq; iure optimo nos omnes, ipſos admiramur, & Pium Quintum in Cælum reuocatum, & Sixtum Quintum nunc publicæ ſalutis Paſtorem Optimum, & Maximum debito honore afficimus: Incredibile enim eſt quantum amore ſapientiæ, quantum deſiderio accendimur, quoties ad eorum nunquam ſatis laudatos, & propè diuinos mores animum noſtrum conuertimus, Porrò quis eorum clementior? quis iuſtior? quis deniq; eorum melior inter homines huius etatis noſtræ reperiri poteſt? nam ſi mores, & virtutes regum, & cæterorum principum Orbis terrarũ cum ſuis comparare volumus, nemo eſt, qui cum illorum excellenti natura, & virtute ſatis dignè poſsit conferri, in ipſis ſumma Religio, Summa Equitas, Modeſtia, Pietas, Liberalitas, Magnificentia, & deniq; omnes virtutes: Pius Quintus non modo regna, ſed, & Chriſtianorum principum ſola perpetua pace, & ſummo otio ſua ſapientia viuens adminiſtrauit, & nunc Sixtus Quintus, vnde iure, & merito igitur beatã, atq; felicem hanc noſtram etatem appellare poſſumus, quæ Sixto Quinto Pontifice Religioſiſsimo, Principe ſapientiſsimo, & maximè iuſto contigit; Laudatur Petrus Celeſtinus, qui amore contemplationis rerum diuinarum Pontificatui ſponte

ceſsit,

ceſsit, laudantur pleriq; alij Pontifices, quòd illuſtre aliquod, & excelſum præ cæteris geſſerunt; huius autem Sixti Quinti iuſtitia nullis mihi videtur ſatis dignis laudibus poſſe ornari, cum in Eccleſia Dei, non ambitione Pontificatũ ſibi vindicauit, non gratia principum, non largitione, ſed humilitate, & integritate vitæ ad ſupremum dignitatis culmen aſſumptus fuerit, cui Chriſtiani omnes, & nationes parent, quoniam immortalis Deus humanum genus reſpiciens, nec amplius gregem ſuum aberrare volens, pietate motus paucis ante diebus Sixtum Quintum tandem ſuum in terris Vicarium, & quidem digniſsimum conſtituit, quo boni pro meritis remunerentur, improbi pro ſceleribus eorum pænis cohercerentur, haberent, accedit etiam ſine vlla varietate omnium, qui, & iudicare rectè, & ſentire grauiter, & prudenter ſapere poſſunt (quorum quidem ſpectandum eſt vhementer iudicium) grauiſsima, veriſſimaq; vox aſſerens, omnes in hoc vno principe virtutes exiſtere, vna cum multarum, atq; admirabilium rerum cognitione, ita vt animi bona dignitati, quæ ſumma eſt, reſpondeant, quam quidẽ diuinitus adeptum fuiſſe non opibus, non principum gratia diligenter inſpicientibus apparebit, quando enim Italiæ non modo, ſed vniuerſi orbi terrarum tantum otium partum eſſe, aut vidimus,

aut legimus, nempe ſuperioribus annis, quibus cladibus affecti fuimus, nemo ignorat; nunc autem iucundiſsimo fruimur otio, atq; pace, cuius autor, Ieſus Chriſtus Dominus Noſter, nobis diu Sixtum Quintum incolumem tueatur, ac ſeruet, vt errantium mentes in viam reuocentur, peruersè, & nequiter hactenus facta rectius emendentur, vitia corripiantur, virtutes, vt par eſt, extollantur, debitumq; premium conſequantur, quò ad eamdem gloriæ cupiditatem omnes excitentur, verum iſtud ni fallor iam conſequuti ſumus, ambitioſi modo, ab honoribus repelluntur, leges obſeruantur, Reſpublicæ rectè adminiſtrantur, honor bonis habetur, banniti eijciuntur, mutuum reſtituitur, omnia deniq; illa aguntur, quæ humano conducunt generi; quoniam Sixtus Quintus ſumma cura, ac diligentia, vigilanter omnia circumſpicit incredibili virtute, atq; iuſtitia omnia regens. Ipſe vitam non in vanis huius ſæculi oblectamentis, non in aliqua turpitudinis labe conterit, neq; in voluptatibus, ſed in amplectenda, colendaq; Dei religione, in reparandis bonis, atq; ingenuis artibus conſumit ſemper. Quem Deus Optimus Maximus, pro Chriſtianorum commodo, & felicitate, per multos annos conſeruet.

# COMPENDIVM VITÆ PII

## QVINTI PONTIFICIS MAXIMI.

PIVS Quintus Pontifex Maximus, viuens ſibi propoſuit, hanc humanam vitam, nihil omnino eſſe, cùm omnia, quæ ſub Cælo ſunt, tabeſiunt, ſeneſcunt, & ſordeſcunt, cum ſapiente inquiens, non glorieris in Craſtinum, neſcis, quid adueniens parat Dies, nec beatum dixeris, quempiam ante mortem, quoniam, quamdiu viuimus in certamine ſumus, & quamdiu in certamine, nulla eſt certa victoria, quamobrem ſuam ſic inſtituit vitam in mundo, vt dignus fieret felicitate in futuro ſæculo, conſiderans, quid ſupra ſe, quid infra ſe, quid extra, quid contra, quid ante, & quid poſtea, ſe ipſum diſcutiens, quid ageret, quid amitteret, quæ cogitaret, quæ appeteret, interioris, atq; exterioris, ſui ſummum ſtatum dum viueret optimè cognoſcens, & quæ ad bene, beateq; viuendum præſtanda fuerint, intelligens, hinc ſuam mentem puram reddidit, affectus core-

xit, direxit actiones, correxit exceſſus, compoſuit mores, vitam honeſtauit, diuinarum humanarumq; ſcientiarum optimus interpres, confuſa diſcernens, ſparſa colligens, ſecreta pandens, vera inueſtigans, ambigua explorans, acta præmeditans, & vana dimittens; non oblitus, quod per multas anguſtias oportet introire in Regnum Dei, cum arcta ſit via quæ nos ducit ad ſalutem, lata verò, & ſpatioſa, quæ ad perditionem, & teſte Paulo prima Cor. 6. Nos omnes mortales tenemur Dei miniſtros eſſe, in ieiunijs, Vigilijs, & anguſtijs, & in omnibus tribulationem pati, ſed non anguſtiari, opperiri, ſed non deſtitui, perſecutiones pati, ſed non derelinqui, maledici, benedici, & Blaphemari tanq; purgamenta huius mundi fieri; Cunctis fuit benignus, ad miſericordiam promptus, firmus in aduerſis, humilis in proſperis bona operans, non timore, ſed amore, non formidine penæ, ſed iuſtitiæ dilectione; Nihil præter Chriſtum amauit, iuſtè, ſanctèq; vixit, rerum integerrimus cognitor; Ordinatam habuit caritatem, quia non dilexit, quod non erat diligendum, dilexit, quod diligendum, amplius dilexit, quod minus diligendum eſt, minus, & amplius dilexit, quod eque diligendum: Abſtinuit ſe à mundi voluptatibus, non ſpectaculis; non pompis interfuit, conuiuia publica neglexit, priuata ſo-

brie coluit, & tàm animi robore, quàm indolis, virtutis, & continentiæ reſpuens omnes voluptates, & omnem vitæ ſuæ curſum in labore corporis confecit, orando, docendo, corrigendo, quem non quies, non remiſsio, non cætera mundi delectauerunt, nihilq; in vita expectandum putauit, niſi quod eſſet cum laude, honore, & Dei amore coniunctum; Pericula, labores, dolores ſuſcipere maluit, quàm vllam in Eccleſia Dei deſerere partem, nec præcio, nec gratia, nec periculo, à via recta deflectens: In ſermone fuit liber, nec ſenſa verbis operuit, à falſis abhoruit: Non donauit iactantiæ cauſa, eiecit offenſores, depulit ſeditiones, ſpiritualia, & temporalia ſimul reſpicientes: Exhibuit ſe regulam, & exemplum virtutum ad benè, recteq; viuendum, vt omnes de mundo ſibi ſubditos ad benè, rectèq; per ſemitas iuſtitiæ peragendum inuitaret, cùm correctione ſui corporis, tùm verò humilitate, vitæ honeſtate, morum grauitate, diuini cultus ſedulitate, victus parcitate, ornamentorum apparatu, fluxu reiecto Chriſti exemplum ſequens, qui prius cæpit facere, quam docere: Fuit diſcretus in ſilentio, vtilis, & cautus ſemper in ſermone, non vixit otioſè, ſed temporis ad Dei cultum, & S. R. E. optimus diſpenſator; Non ſe geſsit ſuperbè in conſpectu principum, & regum terræ: Non fuit curioſus

ad alienam exquirendam vitam, nec diſidioſus ad ſuam corrigendam; De nullo homine nunquam male loquutus, niſi emendationis cauſa: Fuit ſtabilis immobilis, & abundans in opere Domini, ſe ipſum probè monuit; membra ſua ad pietatem conuertens, quibus neceſsitate Chriſti fidelibus proſpexit. Pedibus opportunè ad profiſciſcendum vtebatur, membriſq; ad adiuuandum, lingua ad derelictos, tuendoſq; afficiq; corde ad Deum Optimum Maximum diligendum. Amicè cunctas diſpoſuit actiones ſuas, nequaquā ſeuerē, quod pace concipi poterat, bello aſſequi non quæſiuit, cui non poterat mederi palam, in eum non animaduertebat, quem poterat monitionibus emendare; flagellis non percuſsit; Nullum publicè animaduertit, quem clàm non monuerit, diligenterq; intuens, quantum per bona opera ſua ſibi promitebantur in Cælis. Animaduertens cùm Paulo, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus eum. Nempe nec lingua cernere poteſt, neq; homo capere valet, ſuprema felicitatis gaudia, propterea, quod vita æterna fide non capitur, ſpe nón attingitur, Caritate non apræhenditur, transgreditur vota, & eſt ineſtimabilis; Quamobrem, vt eam appræhenderet, viuens fecit ſibi cor nouum, clamans quaſi tuba extollens vo-

cem

cem ſuam. Cum Eſaia nuntians ſcelera mundi, & cum Ioan. dicens agite pænitentiam in hoc ſæculo, ne tenebræ nos comprǽhendant, tenensq; corde ſemper illud Pauli ad Rom. ij. an ignoras quod benignitas Dei, ad pænitentiam te adducit, ſecundum autem duritiem, & impenitens cor tuum Theſaurizas tibi iram in die, & cæt.; Animaduertens etiam ad alterum Paul. pronuntiatum ad Ephes. primo Elegit Nos Deus ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, immaculati in cõſpectu eius, in caritate ad fruendum Dei Maieſtatem, & cum Auguſt. inquiens, quod initium ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus; ſecundum in noſtra poteſtate; Tertium verò muneris eſt vtriuſq;; & cum Paul. ad Ephes. tertio, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei; & illud Io. in Appo. 8. qui non eſt inuentus ſcriptus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagno ignis, & cum Dauid Pſal. 68. deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur, Impleuit Illud Bar. 3. pronuntiatum, hic eſt liber mandatorum Dei, & cætera; & cum D. Petro Illud dictum ſatagite, vt per bona opera certam veſtram faciatis vocationem, & cum ſapiente expaueſcebat, verba Domini Dicentis, vocaui. & noluiſti, exibui manus meas, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego

quoq;

quoq; in interitu veſtro videbo, & cæt. & cum Dauide Pſal. xij. animaduertens, quod qui confidit in cogitationibus ſuis, impie agit, & pſal. xxv. qui confidit in corde ſuo ſtultus eſt, qui autem gradietur ſapientia, ipſe ſaluabitur. Magnifaciebat illud Paul. p. Cor. 2. & 9. puſillum enim, & magnum fecit Dominus, & eſt ei æqualiter de omnibus, Sap. Cap. vij. & illud Auguſt. pronuntiatum plurimum magni fecit. Creaſti nos Domine ad te, inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te, & cum Paul. ad Cor. 2. nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut cognitus ſum, & cum ſapiente Eccl. 9. nemo ſcit, an ſit dignus odio, vel amore, ſic aiebat cum Eſaia 65. Tota die expandi manus meas ad Populum, & contradicit mihi, & cum Paul. 2. Cor. 9. vnusquisq; pro vt deſtinauit in corde ſuo, Non ex triſtitia, & cæt. & cum Paul. ad Rom. 8. reminiſcebatur, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, cum eodem p. Cor. 9. fidelis eſt Deus, non patitur vos tentari ſupra id, quod vos poteſtis, faciens cum tentatione prouentum, vt poſsitis ſuſtinere, & cæt. Cum eodem Paul. Cor. 1. & 11. dicebat Abundantius omnibus elaboraui, ſed gratia Dei mecum; Induebatur Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, cum Paul. ad Rom. xiij. & p. Cor.

Qui

Qui Deo adhæret, vnus ſpiritus efficitur cum ipſo Deo, & cum Dauid. Pſal. c. xxviij. tenuiſti dexteram meam, & in brachio tuo deduxiſti me, menteq; ſæpius reuoluens Illud Paul. pronuntiatum Philip. iij. noſtra conuerſatio in Cælis eſt, inquiens non habemus hic Ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus, & cum ſapiente Eccl. xviij. clamabat proijcite à vobis iniquitates veſtras, in quibus præuericati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum; memor continuo beneficiorum Dei, cum Paul. p. Cor. 4. Exclamans, quid habes homo, quod non accepiſti, & ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis, cum eodemq; omne donum perfectum deſcendens à patre luminum, & cum Iac. 3. Paul. Cor. 3. animaduertebat, quod omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt, cum Paul. ad Rom. xj. excogitans quod fracti ſunt rami, vt ego inſerar, & cæt. tu autem fide ſtans, noli altum ſapere, ſed time, & ne alius accipiat Coronam tuam; ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, caue ne fortè, & cæt. ſic currit, non quaſi in incertum, ſic pugna, non quaſi in acie verberans, ſed corpus ſuum caſtigauit, ne in ſeruitutem redigeret, ne fortè cum alijs prædicauerit, ipſe reprobus efficeretur, & cum Io. Appoc. xxij. Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc, cum Matth. 3. dicebat Agite penitentiam appro-

quin-

quinquabit in vos regnum Dei; & cum Io. 8. Qui ſtat, videat, ne cadat; reminiſcens illud Gen. 4. nonne ſi bene egeris, recipies, & cætera Illudq; Paul. ad Rom. xj. qui non permanſerit in credulitate, & cætera cum eod. Paul. 2. ad Thimot. 2. ſi quis autem emundauerit ſe ab iſtis, erit vas ad omne opus bonum paratum in honore, & non in contumelia; timebat valde illud Domini pronuntiatum, Multi venient ab oriente, & occidente, & reccumbent, cum Abraam, Iſac, & Iacob, in Regno Cælorum; filij autem Regni eijcientur foras, plurimi faciebat illud Matth. 8. ſunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt, propter regnum cælorum, & illud etiam Matth. 18. quod niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cælorum, & cum Paulo ad Philip. p. aiebat omnia poſſum in eo, qui me confortat, cum eod. ad Rom. 8. Quis ergo, me ſeparabit à caritate Chriſti, & cætera, & cum Ioan.p. dedi te in colummam ferream; cum ſapiente prouer. 3. lignum vitæ eſt his, qui appræhendunt illum, & cum eod. Paul. omnia arbitrabatur ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret quem verè lucrifecit, ipſum in patria æternaliter fruens.

LAVS DEO.